

**MONUMENTA LUGUBRIA,**  
 PIÆ MEMORIAE  
**MATRONÆ CANDIDIS FIDEI ET VIRTUTUM**  
 ORNAMENTIS PRIDEM ORNATISSIMÆ  
**DOMINÆ**  
**CHRISTINÆ,**  
 HONESTISSIMIS NATAL.  
**STIRIANÆ,**  
 VIRI  
 NOBILISSIMI, AMPLISSIMI ATQVE CONSULTISSIMI  
**DN. CASPARIS**  
**BERENDTII,**  
 Reipubl. nostræ Consulis qvondam gravissimi  
 Honoratissimæ VIDUÆ,  
 Anno 1650. d. 16. Octobr. avito sanguine satæ,  
 &  
 Anno 1706. d. 29. Jan. circa h. 8. vespertinam  
 inter Adstantium devotissimas preces  
 in Christo placide demortua,  
 Ipso die solennissimæ funerationis,  
 qui fuit II. Febr. p. a.  
 Ea, qvæ par est humanitate  
 In solamen Nobilissimæ, sed simul mœstissimæ  
 Familiæ posita  
**PROFESSORIBUS ET VISITATORIBUS**  
 GYMNASII THORUNIENSIS.

---

THORUNI,  
 Excudebat Johannes Conradus Rügerus, Nobiliss. Senatus & Gymnasij Calcographus.



**S**i qvid in hoc orbis qvenq; satiare theatro  
    Posset: longa salus vitaq; longa foret.  
Long; siq; videm nobis promittimus annos,  
    Nestoreas Lunas, Nestoreasq; faces.  
Et bene: nam summi seqvitur qvi jussa Jehovæ,  
    In mundo largos computat ille dies.  
**E**s hæc diva diu sancti benedictio cœli,  
**U**t vitæ texat stamina longa brevi.  
**C**ernis, ut annosus portet sua cornua cervus,  
    Ac Aqvilæ Regis secula multa vides.  
Hæc si prosperitas animalia cœca seqvatur:  
    Cur homini vitam vis superesse brevem?  
**M**axima sed vitæ longævæ cernitur ætas  
    Huic; qvi Christicolæ nomen habere cupit.  
Christus prolixæ nobis est optimus autor  
    Vitæ, qvi reparat restituitq; brevem.  
Æternam vitam peccans amisit Adamus,  
    Alter Adam verò tempora longa dedit.  
**O** CHRISTINA, tuam qvis mortem rodat acerbo  
    Dente? Tibi seclum dimidium usq; fuit.  
Sed nunc æternas perstat Tibi vita per horas,  
    Mors sit amara alijs, sed Tibi dulce lucrum est.  
Vita Tibi Christus, melior Tibi Patria cœlum.  
    Nobiscum dicis, chara Thoruna, vale!  
**I**n Christo solum cupiebas vivere, Christus  
    Gemma fuit medico robore gemma potens.

So-

Sola fides animam vernantibus intulit hortis,  
In qvibus alma viret pax reqviesqvè tuam.  
Sola Fides cœlis excelsior omnibus, in Te  
Æternam vitam lætitiamqvè parat.  
Illustrata tamen fuit hæc virtutibus amplis,  
Qvas dispersisti per genus omne satis.  
Pauperies sensit largæ tua munera dextræ,  
Senserunt nostri munia grata Lares.  
Vos Behmios fileo claros, fileoqvè Berendtos.  
Hæc Vobis Mater justa ( Noverca ) fuit.  
*Schultzius* ore canit Socrus dulcissima corda,  
Pectore sed tristi gaudia dempta gemit.  
Natarum qvis jam poterit cantare favores,  
Qveis complexa fuit Mater amanda pias?  
Nunc silet, & nostros gemitus lacrymasqvè repellit,  
Pectoribus mœstis talia verba loquens:  
*Mortua cum Christo, cum Christo læta resurgam,*  
*Lucis sum consors, ut crucis ante fui.*

L.scr.

M. MARTINUS Bohm /

**L**AUDIBUS extollant fortissima pectora vates,  
Arqve suis memorent grandia facta metris:  
Cur agiles animos laudet mea Musa Virorum,  
Nulla movet ratio, nullaqye causa subest.  
Vita qvid est hominum, qvam passio crebra piorum?  
Rebus in humanis ætio nulla fere.  
Quidqvid percipimus visu audituqvè, malorum  
Præ se fert faciem, qvæ toleranda piis.  
Omnia, qvæ sol ipse videt, sunt plena malorum:  
Vix uni locus est ullus in orbe bono.  
Mars hominum genus omne premit, mortemqvè mi-  
Crudelem populis omnibus ore truci. (natur,

Ve-

Vexantur morbis alii per tempora mulra,  
Qvos Artis medicæ pharmaca nulla juvani.  
Divitis ante fores stant Codrus & Irus egentes,  
Ut capiant micas, discutiantqve famem.  
Præterea multi curis franguntur amaris,  
Litibus injustis ac inimicitiis.  
Omnia virtutum princeps Patientia vincit  
Hæc mala, qvâ sine nil fortis in orbe valet.  
Qvapropter Matrona piè defuncta meretur,  
Ut laudes Ejus carmina nostra canant.  
Scilicet, Illa tulit magnam de mole malorum  
Partem, dum felix desiit esse semel,  
Ac iterum, privata duobus morte Maritis,  
Consulibus claris consilio, genere.  
Cum morbo dum conflictari cæpit acuto,  
Qui rapuit vires corporis atqve decus.  
Qui docuit, qvàm vana sit omnis gloria mundi;  
Et brevius mundi prosperitate nihil.  
Qui toties rediens præfagus nuncius atqve  
Autor postremò deniqve mortis erat.  
Hanc verò pariter vicit patientia eadem,  
Qvâ vicit morbi cætera sæpe mala.  
Nunc agit optatam vitam, dum passio cessat  
Omnis nunc, nullo concomitante malo.  
Jamqve Bono fruitur Summo, semperqve fruetur.  
In cœlo sanctis associata choris.  
Nobile vincendi genus hoc mirare Viator!  
Siqve cupis pariter vincere, disce pati.

Lmqve scr.

M. MARTINUS BERTLEFFIUS.



113455